ADMODUM REVERENDO ALOYSIO GOTTARDI VENERANDUM...



ADMODUM REVERENDO

ALOYSIO GOTTARDI

VENERANDUM PAROCHI OFFICIUM

IN ECCLESIA

SANCTÆ MARIÆ DE PUTEONOVO

SOLEMNITER INEUNTI

CARMINA



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCLXV

P. Zero impr.

Admodum colende Paroche,

Ut agnovimus esse Te aliis regendis ovibus designatum, nobisque relictis ad eas abiturum, duplici quidem sensu vehementer affecti sumus, lætitiæ videlicet, atque mæroris; lætitiæ, quod cum hactenus in hac Civitate te plurimum commendaveris sollicitudine, atque doctrina in tuis muneribus obeundis, Te jure optimo ad Curam ampliorem, magisque honorificam admiraremur evectum; mæroris autem, quod Te amico integerrimo, et modestia, ac liberalitate præstanti, eodemque strenuo commilitone, vel tacite nos adhortante ad officia alacrius implenda, destitueremur.

Jam vero, dum ad creditam Tibi Parœciam hodierna die proficisceris, nobis spectantibus, quo animi ardore, quo concentu, quâ pompâ ejus Incolæ venienti occurrant, quibusque certatim studiis se tibi fidentes, ac paratissimos obsequi patefaciant, omnis propemodum mæroris nubes corde evanescit, imo vero gaudium subit ejusmodi, ut

iterum seniorem citharam sollicitemus, et carmina illis similia, quæ nuper lætantes deprompsimus Antistiti nostro amplissimo, et humanissimo, hasce Paræcias sacra visitatione lustranti, Tibi quoque, præclaro ipsius adjutori, effundenda aggrediamur. Sicut enim Illi exeruimus paucis contractas versibus pro singulis trium mensium diebus anni proxime elapsi, sic Tibi proferimus iisdem numeris comprehensas pro diebus singulis duorum mensium eiusdem anni Cælestium laudes.

Quorum sane cum inclyta gesta piissime veneraris, et imitari non desinis, tum eosdem rogamus ex animo, ut pariter ac Duces Tibi feliciter eo contendenti præcedant, ibique diutissime commoranti præsidio futuri sint. Vale.

Monsilice die XXVI Februarii 1865.

Zero Petrus.
Temporin Bartholomæus.
De-Piero Evangelista.
Turolo Ferdinandus.
Gambarotto Joseph.
Giovanelli Aloysius.
Facioli Aloysius.
Gatto Aloysius.
Sartori Franciscus.
Quaglio Antonius.

EX

CALENDARIO PATAVINAE DIOECESEOS

JANUARIUS 1864

1. *Circumcisio D. N. J. C.*

Est pellis cultro Tibi secta, innoxie Jesu:
  Mî scelerum cordis non secet [redacted] dolor? / i'ma/

2. *Octava S. Stephani Protomartyris.*

Æthere quem cernit Stephanus sibi stare, precatur,
  Stet Damascenâ vel tibi, Saule, viâ.

3. *Inventio S. Danielis Martyris.*

Heu, quî, traiectis instanti e marmore clavis
  Confixo Daniel stratus in asse jacet!

Item Octava S. Joannis Evang.

Non acie mentis, non flammâ excellat amoris,
  Qui Jesu accumbens hausit utramque sinu?

4. *Octava Ss. Innocentium Mm.*

Grex tener, hoc sertum tibi carpe, quod ira Tyranni
  Fulgidius peperit, quam peperisset amor.

Item S. Telesphori P. M.

A Petro bis quarte sedes, Telesphore, Petri
  Æmule, tum meteris, saeva jubente Pio.

5. *Vigilia Epiphaniæ D. N. J. C.*

Quanta Fides Arabas sceptroque, opibusque potentes,
Vix cœlo intuitos nobile Sidus, agit!

6. *Epiphania D. N. J. C.*

Hac nixos intrare specum, et procumbere cernas,
Qua placido orantes excipit ore Puer.

Nam quibus aspicitur mortalis, et omnium egenus,
His sursum afflatis Rexque, Deusque patet.

Hinc sistunt myrrham, cui non dubitabile corpus,
Hac prius ungendum, quam tumuletur humo.

Hinc aurum expromunt, quod pendere regibus æquum est,
Et Regem illustri munere suspiciunt.

Hinc unum veriti terrarum, æthræque patentis
Artificem, huic thuris dona cremanda dicant.

Pro reliquis diebus
Octavæ Epiphaniæ D. N. J. C.

At quid, rex, Rege absistis? Quid, perfide abhorres
Sponsor ab obsequiis, et nova bella paras?

Stragibus oh tandem bacchari desine; tellus
Dissita securum, quem petis ense, tenet;

Quemque tibi ablatum dabitur non ante tueri,
Quam rapiare pavens ipsius ante pedes.

Jam quæ rursum agitas? Puerorum haud sanguine pastus
In profugos reges missa per arma furis.

O cæca impietas! Divinæ afflatibus auræ
Præreptos vanis ausibus insequeris.

Præpropere antevolans vorat æquora, despicit iras,
Ingreditur victrix regna Sabæa Ratis.
Hinc tumida insanum rabie, cædesque minantem
Ad probra, ad mortem te maledicta trahent.
Hisque adeo in populos perfunctis munere Patrum,
Ad Vitam, ad palmas gloria pandet iter.

7. *De Octava Inventionis S. Danielis M.*

Quo viso, ut Cæcus, jam lumen adeptus, ut omnis
Euganea in lacrymas solvitur, inque preces!

8. *De eadem Octava S. Danielis M.*

Ad Dominam ex humili, Daniel, deposceris Ædem,
Jamque elatus agis, Sole micante, viam.

Item S. Laurentii Justiniani Protopatriarchæ Venet.

Digna refers, Venetûm Præsul, quem Roma salutat:
Salve o Pontificum, Justiniane, decus!

9. *De ipsa Octava S. Danielis M.*

Quid? Posita ex humeris negat illicet Urna moveri,
Dum tonat, et pluviis grando refusa ruit!

10. *Item de Octava S. Danielis M.*

Nil trepida, Urbs Patavî: quâ sistit, nobile Divo
Delubrum voveas, annuit Urna vehi.

11. *S. Hygini Pontif. M.*

Certat in osores Fidei, quam legibus æquis
Acrior, et fuso sanguine Hyginus alit.

12. *Dominica infra Octavam Epiphaniæ.*

Cui Pater eloquitur, flat Spiritus, æthra patescit,
Agnus Jordanis tacta fluenta sacrat.

*

13. *S. Felicis Presbyteri M.*

A nece Te, Felix, tutatur aranea, Nolæ
In Patrem: hinc functi respuis esse loco.

14. *S. Petri Urseoli C. Ducis Venet.*

Urseolus, qui cellam Aulæ, Cornuque cucullum,
Summa perexiguis providus antetulit.

15. *S. Pauli Primi Eremitæ.*

Cura vigil Superûm nemoris Prior Incola, Paule,
Te dape corvus alit, flens humat ungue leo.

Item S. Mauri Ab.

Maure, stupende Parens, Benedicti gloria, Gallis
Grande locas Claustrum, cui quota lustra præes!

16. *S. Marcelli Pont. M.*

Maxenti, oh brutum horridius, qui bruta tueri
Marcello his Laribus jusseris, hisque mori!

17. *S. Nominis Jesu.*

Jesu! hoc Terra Patrem Te noscit nomine, Regem
Sidera, Victorem Tartara flexa genu.

Item S. Antonii Ab.

Junior Antoni, te sylvæ, et fratribus Ædes
Confertæ, et Satanes tela refracta stupent.

Item Dominica II. ab Epiphania.

En Deus et mensas hilarat conviva jugales,
Inque merum versis gaudia complet aquis.

18. *Cathedra S. Petri Romæ.*

Quâ sedet Omnipotens, Te jussit, Petre, priorem,
Tum Tibi suffectum quemque sedere jubet.

Item Commemoratio S. Pauli Ap.

Petre prius, tum, Paule, negas te noscere Jesum:
Quot lacrymis culpas ultus uterque luis!

Item S. Priscæ V. M.

Semianimem ad Priscam leo procidit immemor iræ,
Claudius hanc flammis, unguibus, ense necat.

19. *S. Canuti Regis M.*

Dania, fumantem Canuti sanguine fratrem
Passa vel imperium carpere, digna feres.

Item Ss. Marii, Marthæ, filiorumque Mm.

Ulla ne terrificent Natosque, Virumque pericla,
Quos Martha obfirmat, supplicioque præit?

20. *S. Fabiani Pont. M.*

Sacra Virûm gesta, atque inopes, Fabiane, recenses,
Hisque, Decî ad jussum, post tria lustra cois.

Item S. Sebastiani M.

Haud periit telis, iterum subit ora, Tyranne,
Dux tua, conteritur verbere, templa meret.

21. *S. Agnetis V. M.*

Quantilla ad Circum! Pietas, stupor omnibus: Agnes
Firma caput trepido subdere carnifici.

22. *S. Vincentii Mart.*

Vincentî haud flectunt vel blanda, vel aspera mentem,
Nec lupus, aut æquor membra inhumata rapit.

Item S. Anastasii M.

Civis Anastasii, et decies septena sequentum
Corpora inexpleto, Persa, furore secas.

23. *Desponsatio B. M. V.*

Felix connubium, quo Matris gloria Sponsam,
  Ambos condecorat candida Virginitas!

Item Dominica III. ab Epiphania.

Jesu attolle preces, culpæ quem pessima turpat
  Lepra, magisque nitens efficiere vitro.

Item S. Emerentianæ V. M.

Agnetis flexa ad tumulum Soror exprobrat Urbi
  Grande scelus, lapidum nec timet imbre peti.

24. *S. Timothei Ep. M.*

Thura Deo, haud Satanæ, sic, Paulo afflante, Timotheus:
  Saxaque plebs Ephesi Patris in ora rotat.

Item Dominica Septuagesimæ.

Vin' te cum paucis capiat Domus alta? Vocanti
  Adsurge, et nunquam non famulere Deo.

25. *Conversio S. Pauli Ap.*

Quo properas, o Saule ferox? Quod vulgus ad Urbem
  Compede constrictum proripuisse furis?

En, cui bella moves, te voce retundit ab æthrâ,
  Te luce obfundit, præcipitatque solo.

Jamque et adesse vides, et se vel nomine Jesum
  Prodentem exaudis hostica cœpta queri.

Hinc trepidans, da, summe Deus, da nosse, precaris,
  Quæ modo, quæ posthac mî peragenda velis. (1)

Tresque subinde dies, licet expers lumine et escâ
  Atque orans tacitâ contineare domo,

(1) Ore triumphantis tum missus, ubi omnia discas,
Damascum, adjecitâ vix ope fultus adis.
Tresque subinde dies etc..

Hinc tamen exsiliens, Jesum quam fervidus effers
Damasci, et Solymæ, barbaricisque plagis!

Item Commemoratio S. Petri Ap.

Quæreris a Paulo, quem Jesu noveris hostem,
Petre, sed hoc nosces nomine quanta feret.

26. *Commemoratio Orationis D. N. J. C.*

Non crucis, at scelerum insontem, quatit horror, humique
Dejicit: orantis stillat ab ore cruor.

Item S. Polycarpi Ep. M.

Voce tuâ et Smyrnæ, et Romæ perculsa potenter
Hæresis in flammas te, Polycarpe, jacit.

27. *S. Joannis Chrysostomi Ep. C.*

Irruit in scelera, hinc rapitur bis Sede Joannes,
Redditur huic functus, proloquiturque suis.

28. *S. Titi Ep. C.*

Quo Creta ut patre, et quævis circum Insula gaudet,
Se dolet, ut genito, Paulus abesse Tito.

Item Commemoratio S. Agnetis 2.

Agnes e tumulo: Constantia, fide. Parentes,
Solvite justa Deo, quo redamante fruor.

29. *S. Francisci Salesii Ep. C.*

Calvino abducis, Francisce, regisque Genevam,
O cui non dulcis, non catus auctor opis!

30. *B. Antonii Manzoni, vulgo Peregrini Pat. C.*

Victu asper, sæclum fugis integer, orbe peragras,
Dum superâ, Antoni, sistis in arce pedem.

31. *Dominica Sexagesimæ.*

Virtutum ut segetem referas, cape semina sacri
Aure lubens Verbi, corde reposta fove.

Item S. Geminiani Ep. C.

Te doctum Ambrosius, te Dæmon, et unda potentem
Te Mutinensis habet, Gemminiane, Patrem.

FEBRUARIUS

1. *S. Ignatii M.*

Ne mihi mitescant fera bruta, Ignatius orat,
Hisque fruens molitur frux placitura Deo.

Item Octava S. Pauli Ap.

Vel minimum te, Paule, vocas, sed grandia Petri
Principis haud impar mente, animoque geris.

2. *Purificatio B. V. M.*

Templum ex lege petis cum Nato, et munere, Virgo,
Cui quam læta Senex, quamque dolenda canit!

3. *S. Blasii Ep. M.*

Tot, Blasi, ægrotos, quemque angit spina mederis,
Triplaque Sebasti te laniena rapit.

4. *S. Andreæ Corsini C.*

Obtigit Andreas tibi quantus, Fesula, Pastor,
Qui decora Urbano magna ab utroque tulit!

5. *S. Agathæ V. M.*

O Agatha, ex colaphis, abscissoque ubere, et igni
Quo celsum veheris pulcrior in thalamum!

6. *S. Raymundi de Pennafort C.*

Pontifici, et servis, et Regi haud mira facesses,
O Raymunde, maris qui pedes æquor aras?

Item S. Dorothæ V. M.

Dorotheam neutra expugnas, quin dederis olli
Utraque, et antevolas pugnam initura soror.

7. *Dominica Quinquagesimæ.*

Est nocte errorum tibi mens offusa: quid Ipsum
Non magis, ad lucem quo revocere, rogas?

Item S. Romualdi Ab.

Quâ primæve seris pia Claustra, Camaldulis hospes,
Ad lustra hic meritis bis duodena micas.

8. *S. Joannis de Matha C.*

Crux bicolor ter visa monet: properatque Joannes
Christiadum ex Afris demere colla jugis.

9. *S. Apolloniæ V. M.*

Impavidæ extrivit dentes, quid et expedit ignem
Tortor? In ardentes evolat illa rogos.

10. *Dies Cinerum.*

Iussa quater denas perfer jejunia luces,
Qui culpa exsolvi, vel procul esse velis.

Item S. Scholasticæ V.

Imbre tibi immisso risere, Scholastica, nubes,
Te mox in Superos, pura Columba, ferunt.

11. *BB. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. M. V.*

Hisce jugis Servos lugubri insignit amictu
Virgo Parens, flenti quos sibi flere lubet.

Item Feria 5 a Die Cinerum.

Ne sibi, ne sperent, orantibus adfore Jesum,
Queis germana fides Centurionis abest.

12. *Sacratiss. Spineæ Coronæ D. N. J. C.*

Quid? Lucis, Rerumque Sator fert Spinea Serta?
Ista, immunde, feras, ista, superbe cinis.

Item Feria 6 a Die Cinerum.

Et veniam imperti, et benefac generosius hosti;
Neu speciem ostentes, insimulesve boni.

13. *B. Eustochii V. Pat.*

Vivam agitat Satana Eustochium, exturbatque sepulcro,
Æde novâ illatam civicus ornat Amor.

Item Sabato a Die Cinerum.

Erigat ut fessos, Jesus freta turgida calcat,
Hinc rate desiliens quemque valere jubet.

14. *Dominica 1. Quadragesimæ.*

Ter Caput oppugnas, Dæmon, ter vinceris Olli:
Quid timeant ausus æmula Membra tuos?

Item S. Valentini Presb. M.

Lux oculis natæ, Fidei lux indita patri,
Bina Valentino monstra repensa nece.

15. *Translatio S. Antonii de Padua C.*

Tot sæcla Antonî cinefacto e corpore vivax,
Spes fida Euganeæ, lingua diserta, rubes!

Item Feria 2. a I. Domin. Quadrag.

Emicat e cœlo Omnipotens, sontesque retectos
Dat Satanæ, innocuos in sua Regna vocat.

16. *S. Julianæ V. M.*

Jesum nosse negas, negat hæc te, Præses Eleusi,
Vel flammæ, et gladio tradita, nosse virum.

Item Feria 3. a I. Dominica Quadrag.

Vendentes, cathedrasque e Templo absterret Jesus,
Unus in innumeros, flammeus ore leo.

17. *Faustini et Jovitæ Fratr. Mm.*

Brixia Faustinum, fratremque ex cæde micantes
Cœlo effert natos, hinc habitura Patres.

Item Feria 4. a 1. Domin. Quadrag.

Gens invisa Deo, Jonæ mirabere signum,
Prensaque septeni Dæmonis ungue gemes.

18. *S. Petri Nolasco C.*

Se dare pro servis stat Petro: adspirat aventi
Virgo, paresque animas ad pia cœpta jugat.

Item Feria 5. a 1. Domin. Quadrag.

Vel canibus collata Parens exorat, et urget
Cor Jesu, hinc laudes, et benefacta meret.

Item S. Simeonis Ep. M.

Ad Jesum senîor, despecta morte, Propinquum
Quo propius Simeon e cruce fortis abit!

19. *Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.*

Me, me, non Jesum, diro quem funere mersi,
Confodiant clavi, mî secet hasta sinum.

Item Feria 6. ab eadem Domin.

E Cruce Fons scatet immensus, cunctisque patescens:
O anima, hoc tergas quamlibet ægra luem.

Item S. Juliani M.

Intactum recipe ex æthra, comitumque cruentis
Spectandum palmis, o Basilissa, virum.

20. *Hilarii Ep. C. Doct.*

O Hilari, occurrens tibi plaudit Gallia, Præsul
Reddite Pictavis, splendide victor Arî.

Item Sabato a 1. Domin. Quadrag.

Eliam, et Mosen, non enarrandaque visum,
Tres scandunt, Jesu prægrediente, Thabor.

21. *Dominica Quadrag.*

Testibus hisce Parens Hunc vestit luce, Magistrum
Hunc e nube vocat, deliciumque suum.

22. *Cathedra S. Petri Antiochiæ.*

Hic primum sedit (gaude, Antiochensis, honore!)
Claviger æternæ, Petra, Columna Domus.

Item Commemoratio S. Pauli Ap.

O Paule, o flos Doctorum, quæ magna loquenti
Gens tibi non cedit, subjiciturque Petro?

Item Feria 2. a Domin. 2. Quadrag.

Quem refugis vivens, Jesum, moriture, requires?
Heus, cave ne culpis contumulere tuis!

23. *S. Petri Damiani Ep. Card. C. Doct.*

E cella ad Cathedram incedas, decoreris et ostro
Pontificis columen, dux, Damiane, Patrum.

Item Fer. 3. a Dom. 2. Quadrag.

Quos Deus instituit, Legis parete Magistris,
Hos licet abnormes dissona vita notet.

24. *Commemoratio Passionis D. N. J. C.*

Omnigenis ultro se pœnis integer Agnus
Subdit: nos meritis æqua subire gravet?

Item Fer. 4. a Dom. 2. Quadrag.

Assideant Jesu ad solium, petis, inscia mater,
Quos Ille ad pœnas, interitumque legit.

25. *S. Mathiæ Ap.*

Quam bene, Mathia, officium sortite verendum,
Pro nequam Sedes te duodena capit!

Item Fer. 5. a Dom. 2. Quadr.

Quis mihi carcer hiat! Quæ pœna ululantibus illic,
Semper abesse Deo, cunctaque ab igne pati!

26. *Commem. Sacratiss. Sindonis D. N. J. C.*

O mihi præ cunctis potior, quæ Sindone inhæres
Mactati Effigies sanguinolenta Patris!

Item Fer. 6. a Dom. 2. Quadr.

Siccine, cui mortem scelerum velut ensibus infers,
Hoc nondum vitâ ne rapiare paves?

27. *S. Margaritæ de Cort.*

Quem videt occisum? Flet lubrica Cortonensis
Tacta Deo, hinc pœnis non positura modum.

Item Sabato a Dom. 2. Quadr.

Patrem rursus adis, periture! Quid ille? Gementem
Amplexu, et lacrymis, omnimodisque fovet.

Item S. Æmidii Ep. M.

Æmidio quæ monstra satis? Caput ense recisum
Ipse manu attollens compita truncus obit.

28. *Dominica 3. Quadrag.*

O reserans mutum, claude os, quo Regis Averni,
Dæmonia ut pellas, diceris auctus ope.

29. *S. Catharinæ de Ricciis V.*

Dulce sibi adflentem Jesus per vulnera figit
Sæpe sua, et sursum te, Catharina, rapit.

Item Feria 2. a Domin. 2. Quadr.

En Patria in Jesum irrumpit sibi monstra negantem:
Is medio sospes turbine pergit iter.



Auctoris variationes

(1) cordis — vindex

(2) ossa — inea

(3) in — In
